



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

7. In Dioecesi Paderbornensi Nascentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

& FRISIIS de quibus Ptolemæus l. 2. c. 12. *Frisij usque ad Amisiam, post hos Chauci parvi.* Hodie post *Frisios, Westphalos,* atque ex horum genere *Monasterienses, Rhedenses, Osnabrugenses, Ritbergenses & Delbruggenses* pererrat.

7. IN DIOECESI PADERBORNENSI NASCENTIS. Non in montibus *Hassicis*, ut *Altham.* in Tac. de morib. Germ. neque comitatu *Ritbergico*, uti *Stangefolius* lib. 2. *Annal. circuli Westphalici*, sed deserto *Sinedi*, profunda vestitâque arboribus valle, circa quam vasta planities.

DELBRVGGIA VLTIMA BRVCTERORVM SEDES.

I. DELBRVGGIA. Peculiaris inter *Luppiam, Amisiam, Vurlam, Glennâ*que amnes, & *Teutoburgiensem saltum*, Diœcesis & Principatus Paderbornensis ditio seu territorium, in quo, uno magno vico excepto, cæteri incolæ dispersis longo latoque spacio villis & tugurijs habitant, industrij, laboris patientes, & militiæ apti.

2. VLTIMA BRVCTERORVM SEDES. Tac. lib. 1. An. *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum; quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter vastatum haud procul Teutoburgiensi saltu.* Ultima verò Bructerorum sedes *Delbruggia* vocatur, non eo sensu, quasi novissima fuerit: Fuit enim hoc modo & ordine prima, aut certe antiquissima; sed respectu temporis, quo *Germanicus* bellum in Germania gessit, & reliquorum *Bructerorum*, qui ad inferiores utriusque fluvij ripas & ostia penè pertinuerunt.

3. VETE